



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Tertiæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romæ, 1619

Vtrum sit vnum vel plura? 2

urn:nbn:de:hbz:466:1-38725

fectum : sicut dicitur vna domus, & vnus homo . Est autem vnum in perfectione, ad cuius integritatem concurrunt omnia, quæ requiruntur ad finem eiusdem : sicut homo integratur ex omnibus membris necessarijs ad operationem animæ ; & domus integratur ex omnibus partibus, quæ sunt necessaria ad inhabitandum : & sic hoc sacramentum dicitur vnum . Ordinatur enim ad spiritualem refectioem, quæ corporali conformatur . Ad corporalem autem refectioem duo requiruntur, scilicet cibus, qui est alimentum siccum ; & potus, qui est alimentum humidum . Et idè etiam ad integritatem huius sacramenti, duo concurrunt, scilicet spiritualis cibus, & spiritualis potus : secundum illud Ioan. 6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus vere est potus . Ergo hoc sacramentum multa quidem est materialiter, sed vnum formaliter & perfectiue .

Ad primum ergo dicendum, quòd in eadem collecta, & pluraliter dicitur primo, Purificent nos sacramenta quæ sumpsimus : & postea singulariter subditur, Hoc tuum sacramentum non fit nobis reatus ad pœnam : ad ostendendum quòd hoc sacramentum quodammodo est multa, simpliciter autem vnum .

Ad secundum dicendum, quòd panis & vinum materialiter quidem sunt plura signa : formaliter verò & perfectiue vnum, in quantum ex eis perficitur vna refectio .

Ad tertium dicendum, quòd ex hoc quod est duplex consecratio materiæ huius sacramenti, non potest plus haberi, nisi quòd hoc sacramentum materialiter est multa : vt dictum est * .

ARTIC. III.

Vtrum Eucharistia sit de necessitate salutis ?

AD tertium sic proceditur . Videtur, quòd hoc sacramentum sit de necessitate salutis . Dicit enim Dominus Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis . Sed in hoc sacramento manducatur

in cor. 2.
428
inf. q. 80.
2. 11. q. 4
d. 9. ar. 1.
q. 2. et d.
12. q. 3. a.
2. q. 1. q.
Io. 6. le. 7
60. 1.

Q 3 Cato